
Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Sentencia sobre el ejercicio del ministerio sacerdotal, de 26 de enero de 2019

Prot. n. 52041/16 CA

N

Exercitii ministerii sacerdotalis

(Rev.dus X – Congregatio pro Clericis)

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno VI, die XXVI ianuarii MMXIX, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Ludovico Card. Martínez Sistach, Praeside, Iosepho Card. Versaldi, Raimundo Leone Card. Burke, atque Exc.mis et Rev.mis Francisco Daneels, O. Praem., et Antonio Stankiewicz, Ponente, intervenientibus Cl.ma D.na Alexia Gullo, tamquam Patrona Rev.di Recurrentis, Cl.ma Martha Wegan, utpote Patrona Congregationis pro Clericis, atque Rev.mo D.no Ioanne Paulo Montini, Promotore Iustitiae, in causa, de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

Traducción del Prof. Jordi Bosch Carrera.

I. Facti species

1. Rev.dus d.nus X, anno 1949 natus, sacram ordinationem presbyteralem anno 1976 in servitium dioecesis Y in Z recepit, sed expleto duodecennio ordinariae curae pastoralis inibi impensae, exoptatam incardinationem dioecesi N¹ anno 1988 consecutus est. Studiis deinceps theologis in Urbe persolutis, gradibus academicis licentiatum apud Pontificium Institutum Studiorum W atque laureae doctoralis apud Pontificiam Studiorum Universitatem Q in Urbe exornatus est.

Post reditum tamen in patriam Rev.dus X ad opera dioecesana rediit et una cum pastoralis ministerii exercitio etiam bono auspicio studiorum praesertim in re morali exordia fecit. Quandoquidem ipsemet huic navitati se traditus videbatur, ineunte anno 2006 a P de abusibus sexualibus in dioecesi Y in Z patris accusatus est, cum adhuc minoris aetatis servitium altaris ageret.

Qua recepta notitia, Exc.mus Episcopus N iam vertente mense februario anni 2006 eundem presbyterum ab exercitio publico ministerii sacerdotalis in sua dioecesi caute amovit. Is autem tali provisione canonica affectus, ad Congregationem pro Doctrina Fidei provocavit, et propriae innocentiae confisus, licentiam exercendi ministerium sacerdotale foras dioecesim N expetivit.

2. Adita tamen Congregatio, receptis ab Exc.mo Episcopo N post plures annos informationibus et documentis una cum expostulatione Rev.dum X dimittendi ex officio et statu clericali,

¹ En el original ponía el nombre de la diócesis.

mense februario 2014 iuxta praxim hisce in causis servandam decrevit, ut Exc.mus Praesul invitaret incusatum presbyterum ad porrigendam petitionem Summo Pontifici pro dispensatione obtinenda ab obligationibus sacerdotalibus, incluso onere coelibatus, et, in casu recusationis, ut processum administrativum poenalem ad normam can. 1720 institueret contra eum, derogando ad hunc finem ventennali praescriptioni actionis criminalis. Haec omnia Congregatio pro Doctrina Fidei litteris diei 25 februarii 2014 cum Exc.mo Episcopo N communicavit.

Renuente tamen Rev.do X impetrandae a Romano Pontifice dispensationi, Exc.mus Episcopus N processum administrativum poenalem adversus eum die 5 maii 2014 inchoavit. Quo celeriter confecto, Exc.mus Praesul, auditis duobus assessoribus, in decreto diei 13 iulii 2014 a Congregatione pro Doctrina Fidei dimissionem eius e statu clericali expostulavit.

Quae autem Congregatio huic rogationi non annuit; immo, hac in causa ad normam can. 1720 processit et allegationes accusatorias die 3 octobris 2014 reiecit quatenus eae «cannot be substantiated and therefore are to be dismissed».

3. Sed Exc.mus Episcopus N, perspecta quorundam canonistarum opinione de indole decisionis Congregationis pro Doctrina Fidei ac praescripto can. 1348 invocato, die 19 decembris 2014 decretum foras dedit, quo dispositiones cautionales anno 2006 eidem sacerdoti impositas abrogavit atque sequentes prohibitiones quotannis quoque recognoscendas irrogavit, videlicet habitum ecclesiasticum deferendi, sese ostendendi sacerdotem, Missam coram po-

pulo celebrandi vel concelebrandi absque licentia Episcopi N vel Vicarii generalis, litterasque commendatitias obtinendi quoad omnes facultates sacerdotales, haud exclusa illa ad excipiendas fidelium confessiones.

Idque Exc.mus Praesul decrevisse asseruit ut bono publico consuleret, sive propter huius casus divulgationem et accusationum non manifestam falsitatem sed dumtaxat non sufficientem probationem, sive propter presbyteri inidoneitatem ad officium ecclesiasticum exercendum.

Reiectam tamen die 19 ianuarii 2015 remonstrationem ad Exc.mum Episcopum N die 2 ianuarii 2015 a Cl.mo Rev.di X Patrono propositam, secutus est recursus hierarchicus ab eodem Patrono die 29 ianuarii 2015 ad Congregationem pro Clericis interpositus. Subsequentem autem petitionem Rev.di X diei 10 aprilis 2015 de exquirendis ab Episcopo N litteris excardinationis, Congregatio pro Clericis die 22 maii 2015 ad tractationem non admisit.

Deinceps eadem Congregatio, prorogato die 31 iulii 2015 termino de quo in can. 57, litteris diei 19 octobris 2015 Exc.mum Ordinarium N admonuit de nimis generica rationum expositione in impugnato decreto ac de servanda Rev.di X praesumpta innocentia in applicandis provisionibus ex can. 1348, atque terminum praestituit ad impugnati decreti revisionem.

4. Sin vero Exc.mus Episcopus N, ad mentem Congregationis pro Clericis animadversionum, die 29 decembris 2015 praecedentes suas provisiones diei 19 decembris 2014 renovavit atque

prohibitiones exercitii ministerii sacerdotalis, quotannis quoque recognoscendas, denuo Rev.do Recurrenti imposuit. Idque Exc.mus Ordinarius decrevisse asseruit ad bono publico consulendum, videlicet propter participationem Rev.di X in conciliatione nummaria in damnum Ecclesiae, eiusque detractionem publicam atque inconvenientem agendi rationem anno 1986 manifestatam ac suspicionum nutritivam cum minore.

Particulatim autem prohibitus est Rev.dus X baptismum administrare, praedicare, Missam coram populo celebrare, peccata fidelium absolvere, matrimoniis assistere, habitum ecclesiasticum deferre et sese ut sacerdotem proferre. Ceteroquin ad ministerium sacerdotale singulis in casibus exercendum licentiam Vicarii generalis petere debuit.

Adversus hoc decretum Cl.mus Rev.di X Patronus die 11 ianuarii 2016 amplam remonstrationem Exc.mo Episcopo N porrexit, qui tamen die 25 ianuarii 2016 reiecit eam.

Tunc Cl.mus Rev.di Recurrentis Patronus, sueto more, iam alterum recursum hierarchicum ad Congregationem pro Clericis die 1 februarii 2016 interposuit, quo revocationem decreti Exc.mi Episcopi N diei 29 decembris 2015 expetivit.

5. At Congregatio pro Clericis die 4 iunii 2016 recursum hierarchicum reiecit et impugnatum decretum, ab Exc.mo Episcopo N die 29 decembris 2015 prolatum, ratum habuit sive in procedendo sive in decernendo; itemque ad tractationem non admisit petitionem a Rev.do Recurrente nimis sero exhibitam ad obtinendam excardinationis licentiam.

Quam decisionem Rev.dus X impugnavit recursu contentioso administrativo ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae die 5 augusti 2016 interposito.

Apud hoc Supremum Tribunal, praehabitis tum memorialibus pro parte recurrente et pro Auctoritate ecclesiastica exhibitis, tum voto Rev.mi Promotoris Iustitiae pro rei veritate, recursus ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus, in Congressu die 15 septembris 2017 coram Em.mo Praefecto habito admissus est.

Deinde formula dubii in sessione deliberationis oralis summariae die 26 septembris 2017 statuta est: **An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Clericis die 4 iunii 2016 latam**, cui in hac sessione Nobis respondendum est.

II. In iure et in facto

6. Causa in praesenti ad hoc Supremum Tribunal delata, sicut ad rem notat Rev.mus Promotor Iustitiae, iuxta tenorem interpositi recursus de violatione legis in *decernendo* tantum tractationem requirit. Ceterae enim provocationes Rev.di Recurrentis ad Romanum Pontificem vel petitiones ad excardinationem obtinendam extra obiectum huius iudicii sistunt.

In exordio autem quaestionis propositae primum attendendum videtur ad recessum poenalem disceptatae causae, etiamsi sub hoc respectu iam definitive iudicatae a Congregatione pro Doctrina Fidei. Nam «hanc causam intellegi vix potest», sicut merito animadvertit Rev.mus Promotor Iustitiae,

«absque individua lectione decisionis, qua Congregatio pro Doctrina Fidei die 3 octobris 2014 confirmationem denegavit decreto, quo Exc.mus Episcopus N Rev.do X dimissionem a statu clericali irrogare voluisset».

Haec enim Congregatio, suo munere fungens in coërcendis gravioribus delictis clericorum contra sextum Decalogi praeceptum commissis cum minoribus, in administrativo processu poenali rite exploravit denuntiationes contra Rev.dum X allatas de assertis abusibus sexualibus ab eo perpetratis annis 1981-1982 erga minorem, et certitudinem tamen moralem ex actis et probatis adipisci non valuit. Quam ob rem, ad normam can. 1608 § 4, Congregatio pro Doctrina Fidei sententia diei 3 octobris 2014 edixit accusationes sustineri non posse ideoque dimittendas esse («cannot be substantiated and therefore are to be dismissed»).

Nemine dein recurrente, superius relata decisio definitivam iuris firmitatem obtinuit.

7. Contentio autem subsequenter exorta de legitimitate prohibitionum exercitii ministerii sacerdotalis Rev.do X irrogatarum a proprio Ordinario post decretam a Congregatione pro Doctrina Fidei denuntiationum incusantium reiectionem, ansam praebuit recursui hierarchico, quem Cl.mus eius Patronus ad Congregationem pro Clericis interposuit. Immo, providus Advocatus, ut iam supra dictum est (cfr. n. 4), alterum quoque recursum hierarchicum eidem Congregationi porrexit, postquam Exc.mus Praesul impugnatas prohibitiones novo decreto suffecerat.

Sed aditum Dicasterium delatam quaestionem legitimitatis decreti Exc.mi Episcopi N profundiori examini subiecit et prohibitiones exercitii ministerii sacerdotalis, Rev.do X impositas, decreto diei 4 iunii 2016 sustinuit, confisum nempe «that there are sufficient elements in the Recurrent's personal history and in the current circumstances of time and place to justify a prudent and restrictive disposition concerning the public exercise of the sacred ministry by the Recurrent».

Alia ex parte decretum Congregationis pro Clericis praecludit quidem rationum conquisitionem legitimitati provisionum Exc.mi Ordinarii faventium in ambitu decisionis poenalis, scilicet «that a lawful basis for the Ordinary's actions cannot be found in the Sentence issued by the Congregation for the Doctrine of the Faith»; maxime tamen institit observandae praesumptae Rev.di X innocentiae.

Particulatim vero, iudicio Congregationis, status illius innocentiae «ought to be taken in account for granting permissions and faculties, as requested, perhaps with prudential restrictions concerning those who might be present in such circumstances, in what place such ministerial acts might be carried out, and under what lawful conditions».

8. Perspecta autem allegationum criminantium reiectio in causa poenali contra Rev.dum X intentata, iam propter hoc ipsum, ut merito advertit Rev.mus Promotor Iustitiae, «per se inutile esset haec facta percurrere», quae annis 1981-1982 accidissent, «quia Congregatio pro Clericis statuit circa ea vigere ex decisione Congrega-

tionis pro Doctrina Fidei praesumptionem innocentiae».

Hoc tamen non obstante, ut positio canonica Rev.di X clarius appareat, iuvat saltem paucis perscrutari verbis factum sustentati oneris pecuniarii ex parte dioecesis Y in Z propter denuntiatos eius abusus sexuales minoris.

Nam in his ipsis rebus Advocati fori civilis denuntiantis pro incusatis abusus generatim denominatis tamquam «un-permitted, harmful and offensive sexual contacts», a dioecesi Y in Z expostulaverunt ratam pecuniae solvendam «of \$50.000, plus costs, disbursement reasonable attorney's fees and such other relief as the court deems just and equitable».

Quae tamen pecuniae summa die 11 iulii 2007 ad ratam 23.000 dollariorum deminuta est ope compositionis nummariae extraiudicialis.

Hanc enim compositionem nummariam, secundum notariales regulas exaratam, denuntians stipulavit cum Dioecesi Y in Z eiusque Exc.mo Episcopo atque paroecia T et schola in S. Eandem compositionem Rev.dus X participavit quidem, non tamen uti subiectum passivum in stipulata compositione, quapropter inter subscriptores documenti notarialis non recensetur.

Utcumque ad rem satis est decisionem Congregationis pro Doctrina Fidei recolere, quae acriter improbat assessorem qui ex subscriptione huiusmodi compositionis nummariae ex parte Rev.di X eiusdem culpae admissionem deducit, ita eum increpans: «One might question whether this assessor is aware of the nature of financial settlements in the B».

9. Quamvis praedicta compositio nummaria vigorem suum in foro civili retineat, tamen etiam propter clausulam exclusoriam responsabilitatis huic documento notariali insertam, nullum elementum probatorium affert allegationibus accusatoriis.

Quin etiam, praefatae denuntiationes iam in seipsis consideratae, prout in actis prostant, vi probatoria in foro canonico non pollent. Agitur enim de litteris accusatoriis tribus pagellis dactyloscriptis constantibus, quae denuntiantis subscriptione, sigla vel quolibet alio authenticitatis signo carent.

At iuxta regulas traditionis canonicae delicti denuntiatio scriptis a denuntiante subsignatis fieri debet, vel orete-nus loci Ordinario vel cancellario Curiae (cfr. can. 1936 CIC 1917).

Quapropter denuntiatio delicti ab ipso denuntiante non subsignata nec in processu canonico recognita, cuiuscumque generis anonymis documentis aequiparatur, quae «per se ne tamquam indicium quidem haberi possunt, nisi facta referant quae et quatenus aliunde comprobari possint» (cfr. art. 188 Instructionis *Dignitas connubii*).

Procul dubio hac in re Congregatio pro Doctrina Fidei neminem celavit de unici testis de visu declaratione, scilicet C, minoris natu fratris denuntiantis.

At frater denuntiantis declarationem suam anno 2006 redditam D, tunc fungenti munere partibus delicto laesis assistentis, in processu poenali canonico non confirmavit. Nam iuxta tenorem decisionis Congregationis pro Doctrina Fidei ex parte praedicti testis «there is

no testimony, no deposition, or no sworn affidavit».

Ceterum nec aliter dicendum est de ipsis accusationibus contra Rev.dum X a P delatis. Hic enim processui poenali canonico non interfuit neque allegationes accusatorias propria subsignatione et declaratione confirmavit, quae ideo tamquam «unsubstantiated» ac ineptae ad probandam culpabilitatem Rev.di X, decisione Congregationis pro Doctrina Fidei diei 3 octobris 2014 reiectae sunt.

10. Sed in causa poenali Rev.di X Congregatio pro Doctrina Fidei alterum quoque eventum anni 1986 perpendit, qui obvenit apud locum ubi ex duabus fodinis duo lacus formati sunt, unus publicus, alter privatus.

Accidit enim quod prope lacum Rev.dus X cum iuvene sexdecim annorum E gradiebatur, sed casu quodam eorum iter interruptum est interventu securitatis tuitoris et custodum publicae securitatis, quippe qui, investigatione peracta, nihil inhonestum inter eos invenerunt. Mater insuper iuvenis, hac in re statim interpellata, confirmavit filium suum obtinuisse consensum egrediendi ex oppido cum Rev.do X atque permanendi ubi cum eo sistebat.

Cum vero ipse iuvenis haud semel publice declaraverit nihil inhonestum inter eos tunc obvenisse, quia «the walk around the lake was innocent», hoc in casu excludi debet vel delictum frustratum ex parte Rev.di X, videlicet non consummatum alia ex causa praeter ipsius voluntatem (cfr. can. 1328 § 1), cui tamen annuit Exc.mus Episcopus N in decreto prohibitorio exercendi ministerium sacerdotale propter «his unbeco-

ming and suspicious conduct with a minor in an incident at a private quarry».

Habita tamen ratione legis canonicae tunc vigentis, in relato casu agi potuisset tantummodo de delicto frustrato contra sextum Decalogi praeceptum «publice» (can. 1395 § 2) explendo, id est in loco publico, vel aperto ad publicum, non autem de eiusmodi delicto «cum minore infra aetatem sedecim annorum» (cfr. can. 1395 § 2), quia E memoratas aetatis limites tempore superioris indicati incidentis iam superavit.

At Congregatio pro Doctrina Fidei sub hoc respectu imputavit Rev.do X «imprudens and poor judgment», quam imprudenciam etiam impugnatum Congregationis pro Clericis decretum suam fecit propter illius agendi rationem non conformem cum «the standards of correctness and good example expected of a priest, especially in respect of youths entrusted to his care».

11. Accidit autem quod «reus non semper absolvitur quia innocens» in iudicio evasit (cfr. Communicationes 16 [1984] 44). Idque potissimum pendet a rationibus propter quas imputatus absolvitur vel nulla poena ei irrogatur. Quam ob rem, tali in casu, «Ordinarius potest opportunis monitis aliisque pastoralis sollicitudinis viis, vel etiam, si res ferat, poenalibus remediis eius utilitati et publico bono consulere» (can. 1348).

Interdum tamen obvenit quod Ordinarius in hisce rerum adiunctis in locum medii pastoralis vel remedii poenalis, scilicet monitionis vel correptionis (cfr. can. 1339 §§ 1-2), presbytero impune dimisso irrogat per viam provisionis administrativae graves prohibitiones vel

privationes, poenis expiatoriis aequivalentes, quae eum ad instar delinquentis afficiunt aut in perpetuum aut in tempus praefinitum aut in tempus indeterminatum (cfr. can. 1336 § 1).

Sed hoc procedendi modo, admittitur aequivalentia inter facultates pro quibus ius explicite cavet de earum revocatione, et facultates quae ex iure ordinationi sacrae conectuntur, atque obliviscitur aequivalentiae inter processum poenalem, vi cuius omnes facultates adimi possunt, et provisionem administrativam, quae si omnes concernit facultates, a decreto poenali haud distinguitur.

Idemque dicendum de admissione aequivalentiae inter officium haud detentum et haud detentas facultates. Ita enim sub specie rationis provisionem administrativam determinantis, in impugnato Congregationis decreto introducuntur elementa ex ipsis iurisprudentiae H.S.T. excerptis in eodem decreto relatis denegata.

12. Alia ex parte praetermittendum non est quod ius universale bonum publicum tuetur processu poenali et applicatione prohibitionum exercitii sacri ministerii ex praescriptis canonum 1044 et 1722, etiamsi de administrativa prohibitione exercitii ministerii sacerdotalis non caveat.

Quapropter prohibitiones impositae via administrativa ponendi omnes vel aliquos tantum actus potestatis ordinis vel explendi alias functiones, non modo rationem habere debent institutorum iam exsistentium (cfr. cann. 1044; 1722), verum etiam prudentiae in ponderatione emergentis in vita ecclesiali

novi instituti, iam suffulti iurisprudentia et praxi Curiae Romanae (cfr. can. 19).

Enimvero, sub hoc respectu, ut recte notat Rev.mus Promotor Iustitiae, causae quae provisiones ex can. 1722 sinunt, comparandae sunt causis quae originem dent provisionibus administrativis; pariter causae quae poenis muniuntur comparandae sunt causis adhibitis in provisionibus administrativis, ne causae longiore differentes pares pariant effectus.

Praeterea, ex principio legalitatis etiam aequa proportio servari debet in prohibitionibus administrativis ab Ordinario irrogandis. Haec proportio iuxta dictamina iurisprudentiae mensuranda est non solum in casu, adeo ut causa sit prohibitioni proportionata, sed dimetienda est quoque relate ad mentem Legislatoris, ne causae ab ipso in iure statutae cum earum effectibus, ulla proportione gaudeant relate ad causas pro administrativa prohibitionem.

13. Trinae vero causae ab Exc.mo Episcopo N adductae in decreto diei 29 decembris 2015 ad irrogandas Rev.do X provisiones administrativas coartantes exercitium ministerii sacerdotalis (cfr. n. 4), haud dubie aequam proportionem non servant cum pluribus ac onerosis prohibitionibus, atque cum causis huius generis ab ipsa lege statutis una cum earum effectibus in ambitu coërcitionis poenalis.

Idque imprimis dicendum est de prima causa attinente ad participationem Rev.di X «in settlement of a lawsuit brought against the Church» (cfr. n. 8), quam absque ullo pondere accu-

satorio Congregatio pro Clericis habuit, quatenus ab expletione praedictae compositionis nummariae «the Recurrent distanced himself by an exclusionary clause».

Altera vero causa (cfr. n. 10) refertur ad agendi modum Rev.di X cum aetate minore E anno 1986 in eventu «at a private quarry», indicatum tamquam «his unbecoming and suspicious conduct». Nam iuxta Exc.mum Episcopum N in illo occurso «nothing of a sexual nature took place because the priest was prevented from acting out sexually with the boy due to the intervention of the security guard and police». Quae tamen suspicio delicti frustrati omni fundamento caret, ut iam supra indicatum est (cfr. n. 10), attento nempe praescripto can. 1395 § 2 tunc vigente, temperante limites aetatis minoris. Suspicio insuper delicti frustrati publice patrati nullo prorsus elemento probatorio innititur, nisi ipsis solis verbis suppositionem ipsam nutrientibus. Ceterum, prohibitiones administrativae non irrogantur ad punienda delicta, sed ad praecavenda pericula quae indignum exercitium ministerii sacerdotalis apud fideles provocare potest.

Alia ex parte, iusta et aequa aestimatio superius indicati eventus obscurare nequit irreprehensum quoque successivum agendi modum Rev.di X ab illo occurso, anno 1986 habito, usque adhuc.

14. Tertia autem causa prohibitionum negativam opinionem publicam Rev.di X complectitur. Profecto, haec mala fama, seu imputata ei «negative public reputation», non spectat ad idoneitatem sacerdotis in comparatione cum quadam activitate saeculari apud

systemata civilia, de qua fuse impugnatum Congregationis decretum institit, sed ad eius actualem statum in ambitu ecclesiali, in quo legitime fruitur praesumptione innocentiae, cui tamen metu adversae publicae opinionis exercitium ministerii sacerdotalis interdicitur.

Enimvero, opinio publica qua quis mala fide facile abuti potest ad grave damnum alicui inferendum, nec accusationibus sufficientem probationem suppeditat, neque gradum legitimae causae ad irrogandam prohibitionem administrativam exercitii ministerii sacri assurgit (cfr. sententia definitiva coram Versaldi, 30 novembris 2017, n. 8).

E contra, hostili opinioni publicae cessio, ut merito notat Rev.mus Promotor Iustitiae, praeter illegitimitatem actus et iniustitiam, in plures errores inducit, gravia damna forte inferentes sive bonae famae ipsius sacerdotis, deducendo eius culpabilitatem ex irrogatis gravibus prohibitionibus exercitii sacri ministerii, sive disciplinae canonicae propter nudam aequiparationem ministerii sacerdotalis cuilibet activitati sociali.

15. Denique, ad singulas prohibitiones Rev.do X irrogatas quod attinet, hac in re oblivioni tradere nequit quod quaevis facultas removeri potest per provisionem administrativam propter causam legitimam, iustam et proportionatam, non autem secundum superioris merum arbitrium.

Itaque circa prohibitionem baptismi celebrationis impugnatum decretum Congregationis pro Clericis ad rem exponit quod huius sacramenti administratio «belongs properly to the lawful Pastors», ideoque «the Ordinary may

lawfully reserve to himself permission for the administration of baptism in respect of those who are not lawful Pastors». Idque verum est si per legem vel decretum generale omnes sacerdotes qui non sint pastores proprii in eorum paroeciis prohibiti essent baptismum celebrare; at si unus tantum sacerdos hoc sacramentum conferre interdicitur, causa saltem iusta haberi debet.

Pariter iusta et proportionata causa semper requiritur ut facultates praedicandi, absolvendi peccata et matrimoniis assistendi sacerdoti incardinato in sua dioecesi denegari possint (cfr. sententia definitiva coram Grochowski, 28 aprilis 2007, n. 10).

Cum vero lex universalis non caveat de prohibitione publicae celebrationis Sanctae Missae, seu coram populo, nisi de vetito publicae participationis sanctissimae Eucharistiae pro tempore durationis processus poenalis (can. 1722), neque praescriptum can. 900 § 2 impedimenta praevideat ad licitam celebrationem lege canonica statuta, vel ad litteras commendatitias non edendas, quaestio proposita de legitimitate huius prohibitionis definiri potest ad mentem sequentis dictaminis iurisprudentiae H.S.T., iuxta quod «extra ambitum poenalem illegitima censenda est prohibitio, per actum administrativum imposita, exercendi quodvis ministerium presbyterale coram populo, inclusis facultatibus iure universali presbyteris concessis» (cfr. decretum coram Burke, 30 maii 2009; sententia definitiva coram Mamberti, 16 ianuarii 2016).

16. At signum inconcussum gravis prohibitionis exstat praeceptum depo-

nendi habitum ecclesiasticum ac sese uti sacerdotem non proferendi. Nam sub vetere Codice gravissima poena degradationis in se continebat, praeter depositionem et reductionem clerici ad statum laicalem, etiam privationem habitus ecclesiastici (cfr. can. 2305 § 1 CIC 1917).

Quibus perpensis, Rev.mus Promotor Iustitiae merito quaerit: «Quod ministerium sacerdotale exercere potest qui sese uti sacerdotem proferre prohibetur? Quod ministerium sacerdotale superest exercendum ab eo qui sese sacerdotem proferre prohibeatur?».

Quod autem spectat ad clausulam recognitionis annualis prohibitionum, Cl.ma Auctoritatis ecclesiasticae Patrona contendit quod Exc.mus Episcopus N exercitium ministerii presbyteralis in toto non sustulit, sed Rev.do X decreto administrativo aliquas tantum restrictiones imposuit, quae perpetuae non sunt, quotannis enim renovandae sunt. Insuper Vicarius generalis singulis in casibus exercitium ministerii sacerdotalis permittere potest. Quam decisionem et Congregatio pro Clericis impugnato decreto comprobavit tamquam «considerable latitude».

Sed praefata clausula, iudicio Rev.mi Promotoris Iustitiae, vim non habet mutandi decisionem Exc.mi Episcopi, quia expirato anno, si Exc.mus Praesul silet, provisio ab eo irrogata non cadit et intactam reliquit quaestionem de legitimitate impugnati actus. Quapropter, tali in casu, agitur potius de restrictionibus perpetuis vel ad tempus indeterminatum elicitis, quae poenis expiatoriis congruant (cfr. can. 1336 § 1).

III. Conclusio

17. Omnibus in iure et in facto aequae rimatis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

Affirmative, seu constare de violatione legis in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Clericis die 4 iunii 2016 latam;

Negative, seu non constare de violatione legis in procedendo.

Exc.mus Episcopus N indemnem reddere debet Rev.dum Recurrentem sive quoad expensas processuales sive quoad emolumenta advocatorum et procuratorum.

Congregatio pro Clericis suae Cl.mae Patronae congruum solvat emolumentum.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 26 ianuarii 2019.

(Signati)

Ludovicus Card. MARTÍNEZ SISTACH,
Praeses

Iosephus Card. VERSALDI
Raimundus Leo Card. BURKE
Franciscus DANEELS, O. Praem.
Antonius STANKIEWICZ, *Ponens*

Et notificetur.

Die __ 2019

Iosephus SCIACCA
Episcopus tit. Fundanus
Secretarius

Marius LEITE DE OLIVEIRA
Vices Praepositi Cancellariae gerens